BOETHIUS. PORPHYRIUS

Heiligenkreuz, 12. Jh. Seite 31v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=875
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hoc modo differt: non quod si auferatur hoc accidens inseparabile interimat illud cui accidit. sed quoniam separari non potest. ideo sine hoc constare non possit. Est et inseparabilis accidentis et proprii alia communio. Quod sicut omni et semper inest. proprium cui inest, id est homini. semper enim et omnis homo risibile est. sic et quodlibet accidens inseparabile et semper et omni accidens inseparabile. Namque et omnis coruus et semper niger est. Sola autem separabilibus accidentibus illa communio est. quod quemadmodum de multis individuis proprium predicatur ita et accidens de multis individuis potest predicari. Plures etiam currunt plures ambulant que accidentia separabilia sunt. quemadmodum plures possunt esse risibiles.

Differunt autem ista. quod proprium semper uni speciei inest. accidens uero et pluribus. Namque accidens pluribus speciebus animatis et inanimatis euenit ut est ebeno nigrum. coruo nigrum. homini ethiopi nigrum. risibile uero nulli nisi soli homini. atque ideo conuersim proprium predicari potest: quia unius speciei continens est. et illi soli speciei equalis est. At uero accidens non conuersim predicatur. quia plures sub se species habet. non enim potes dicere id esse nigrum quod ebenum. cum dicas hoc esse ebenum quod nigrum. Potest enim esse nigrum et non ebenum. Deinde omne proprium equaliter se his rebus que sub se fuerint dat. et ab his equaliter participatur. Socrates enim et Cicero et Virgilius equaliter et risibili participant. et equaliter risibiles sunt. At uero accidens non semper equaliter. potest enim quicumque est procerior. et alius esse uelocior. quod scilicet illud separabile est accidens. illud inseparabile et fortasse aliquorum quedam proprietates ut communiones esse uideantur. Sed nunc quantum introductioni satis est: ista sufficiunt. Sed iam tibi mi Fabi omnia quecumque ad introductiones porphirii pertinent plenius uberiusque tractata sunt. Post uero si umquam mei egueris. studiis presentituis que nulla umquam honestate caruerunt. libens animo. hortatorque ad easdem cupiditates parebo. Hic Fabius: Tu inquit paratus michi animo polliceris. uerum ego numquam deficiam ab his studiis te presertim docente. a quo totam fortasse logice aristotilis si uita suppetat capiam disciplinam. Et ego faciam inquit libentissime. Sed quoniam matutinus ut att petto ius sol tectis arrisit. surgamus et si quid restat illud diligentiore postea consideratione tractabitur.

Porphirii ysagoge incipiunt

QVOM SIT NECESSARIVM CRISARORI ET AD EAM que est aput aristotilem predicamentorum doctrinam nosse quid genus sit quid species. quid differentia. quid proprium. quid accidens. et